



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. II. De Obligatione actus conjugalis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

ARTICULUS II.

De Obligatione actus Conjugalis.

- I. Num conjux teneatur aliquando debitum petere?
- II. Quandonam vacat lethali culpa negare debitum conjugi illud petenti?
- III. Non tenetur conjux cum gravi suo detrimento reddere debitum, etiam si alteri immineat periculum incontinentie.
- IV. Secluso hac periculo non peccat, qui debitum negat, ne prolem multiplicet, quam sustentare non potest.
- V. Tenetur uxor a jejuniis abstinere, quando aliter nequit cum reciproco amore convivere cum marito.
- VI. Quandonam licite debitum redditur illicite petenti?
- VII. Qui reddit debitum conjugi habenti votum castitatis, licet cooperetur actui sacrilego, non peccat, quia actus est solum sacrilegus ex parte petentis, non vero ex parte ipsius actus.
- VIII. Cur non possimus similiter ministrare carnes habenti votum jejunandi? Aut reddere gladium Domino furioso?
- IX. Quare non licet reddere debitum cum gravi damno temporali petentis, & tamen licitum est illud reddere, quando sacrilege petitur cum gravissimo ipsius petentis damno spiritali?
- X. Tenetur conjux debitum reddere, etiam quando actus est solum venialiter ratione sui illicitus.

I. **Q**uaritur primo; An conjux teneatur aliquando petere debitum?

Respondeo per se loquendo nunquam teneri; cum possit cedere juri, quod habet: Per accidens tamen aliquando tenetur; ut si credat alias con-

Part VII.

jugi periculum imminere incontinentie, quod petendo debitum possit avertere; immo tenetur etiam ex justitia petere, quando praevidet periculum incontinentie in conjuge, quae prae verecundia expresse non petit, quamvis appetat copulam: Etenim in tali casu petitio esset potius redditio debiti implicite illud petenti.

II. Quaritur secundo; An semper teneatur sub mortali conjux reddere debitum petenti?

Respondeo, per se loquendo teneri sub mortali reddere, etiam petenti implicite, & interpretative; quia lex justitiae praecipit reddere unicuique, quod suum est, quomodolibet petatur, sive verbis, sive factis, sive signis; Copula autem est res gravis; ergo sub mortali redditio debiti praecipitur: Praesertim quia si negetur, exoriuntur saepe discordiae, & non raro adest periculum incontinentie in petente. Unde Pal. disp. 3. punct. 4. putat, etiam semel negare serio petenti, immo etiam differre redditionem, esse peccatum mortale. Verum Pont. lib. 10. cap. 2., Perez, Tamb. lib. 7. in Decal. cap. 3. §. 5. putant, excusari a mortali; Primo, qui non saepe, sed una, vel altera vice negat. Secundo, qui negat petenti precibus, & blanditiis, vel ita remisse petenti, ut facile desistat. Tertio, qui parvo tempore differt redditionem, ut si petenti nocte reddatur mane, aut petenti mane reddatur sequenti nocte, ut notavit Hurt. disp. 10. diff. 11. Et ratio est, quia in his casibus vel nulla, vel levis est injuria; unde si absit periculum incontinentie, solum esset veniale. Adde, non esse mortale, negare debitum ei, qui precibus illud petit, non tanquam debitum, nec animo obligandi, sed benevole, & amice: Sicut non peccat debitor, qui differt solutionem, quando debitum pecuniarium petitur amice, eo quod

Y

cen.

censeatur creditor non ferre graviter dilationem; Tamen si ex verecundia conjux non audet aliter debitum petere, tunc mortale esset illud negare.

Notandum praeterea, petitionem debiti, ut obliget, debere esse moderatam; Aliter esset magna servitus; & frequentia copulae valetudinem laederet; Nec censentur conjuges ad nimis importunam, & immoderatam redditionem se obligasse, ut notat Con. disp. 34. dub. 2. sed solum ad ordinarium, communemque modum, qui arbitrio prudentis dimetiendus est, spectata aetate, viribus, & sanitate conjugum. Hinc fit, quod neque peccet non reddens, quando ex redditione, etiam moderata, imminet rationabile periculum suae salutis, vel morbi gallici, &c., aut si petatur, dum febris, aut alio dolore gravi laborat, unde immineat probabile periculum damni notabilis.

III. Idque verum est, etiam si petenti immineat periculum incontinentiae; ut notarunt Sanch. disp. 24. & Con. dub. 3. Ratio est, quia nemo tenetur cum tanto detrimento vitare peccatum alterius. Et ratio ulterior est, quia ordo charitatis tunc postulat, ut praeferatur bonum spirituale alterius propriae salutis corporali, immo etiam vitae, quando vel habetur extrema necessitas in patiente periculum spirituale, aut habetur necessitas gravis, & qui subvenire debet, sit Praelatus; at in casu nostro neutrum habetur; neque enim in petente habetur extrema necessitas, cum possit aliis mediis subvenire illi periculo incontinentiae; & si haberet gravem necessitatem, alter conjux non est Praelatus, qui teneatur subvenire.

IV. Demum non peccat, qui seculo periculo incontinentiae negat debitum, praecise ne multiplicet prolem, quam sustentare nullo modo potest:

Sicut enim in aliis debitis magna incommoditas excusat a solutione, ita hic; ut docent Bonac., Perez contra Con. dub. 3.

V. Quaeritur tertio; An conjux teneatur omittere jejunia Ecclesiastica, si jejunando non possit reddere debitum moderate petenti?

Respondeo affirmative; praevalet enim praecipuum justitiae praecipuum Ecclesiastico: Et ob eandem rationem tenetur jejunia omittere Uxor, si jejunando ita pallida, & deformis evadat, ut rationabiliter timeat ea de causa odiosam se futuram marito, & avertendum conjugis animum ab ipsa ad alias quaerendas. Ita Perez disp. 50.: Ubi ex Sanch., & Lopez contra Pont. docet, idem dicendum de femina volente nubere; haec enim si jejunando ita deformis reddatur, ut multo difficilius nubat, excusatur a jejuniis; quia praecipuum Ecclesiae non obligat cum gravi damno. Demum Ledesm., Azor., Sanch., Navar. docent, uxorem debere a jejuniis Ecclesiasticis desistere ob praecipuum mariti, si aliter notabiles discordiae, & rixae oriantur. Ratio est, quia quamvis maritus non habeat dominium in uxorem relate ad praecipua Ecclesiastica, sicut habet relate ad jejunia, ad quae illa sponte vovendo se astrinxit; tamen quando ex jejuniis Ecclesiasticis notabiles discordiae oriantur, non tenetur jejunare; tum quia praecipua positiva non obligant cum scandalo, ex cap. *Nihil cum scandalo*, *De praescriptionibus*; tum etiam quia mutuus amor conjugum necessarius ad vitam conjugalem quiete traducendam, tamquam ex vinculo justitiae ortus, praefendus est illis: Quod tamen intelligendum, nisi in contemptum jejunii Ecclesiastici id praecipiat maritus; tunc enim vita potius exponenda esset, quam jejunium omittendum.

VI. Quaeritur quarto; An licite red-

datur debitum illicite petenti?

Respondeo cum Bonac. quæst. 4. punct. 3., Perez, Sanch., petitionem debiti dupliciter posse esse illicitam. Primo, propter circumstantiam aliquam se tenentem ex parte actus; ut cum petitur debitum in loco publico, vel cum periculo impediendi prolem, vel cum periculo mortis fœtus, vel cum aliqua circumstantia indebita. Secundo, propter circumstantiam aliquam se tenentem ex parte personæ; ut si quis petat debitum ob pravam finem animo fornicario, aut habens votum castitatis, &c. Nunc sic: Quando petitio debiti est illicita primo modo, conjux, a quo petitur, non potest reddere; quia non potest concurrere ad actum de se illicitum: Quando vero petitio est illicita secundo modo, potest, & tenetur debitum reddere; quia per accidens est, quod petitio illa debiti, & ipse actus sit illicitus; & reddens, quantum est ex se, tantum cooperatur actui licito. Quod patet a simili: Nam si Creditor petat a me pecuniam suam, teneor illam solvere, quamvis sciam, illum ea abuturum ad fornicandum; seu quamvis sciam, quod habeat votum non petendi illam; & ad summum tunc teneor præmittere correctionem fraternam ex lege charitatis, vel differre solutionem debiti, si possum impedire peccatum proximi sine magno meo, aut illius incommodo. Ratio est, quia tenemur impedire damnum spirituale proximi, etiam cum aliquo incommodo temporali; sicut tenemur ex lege charitatis differre redditionem gladii Domino furioso, nec fit illi injuria, cum salubriter ejus negotium agatur. Quare idem dicendum in casu nostro, si conjux astrictus voto castitatis illicite petat debitum, quamvis peccet petendo: Quia tamen per votum non amittitur jus petendi, ideo tenetur alter debitum reddere saltem post fraternam

correctionem; aut si non potest commode differre debiti redditionem. Ratio est; quia in tali casu non cooperatur peccato illius formaliter, sed materialiter; solum enim cooperatur actui, qui, quantum est ex se, licitus est, & solum est illicitus petenti ex sua malitia, eo quod male ipsum petat, antequam dispensetur in voto.

Propter eandem rationem licitum est, necessitate urgente, petere Sacramentum Confessionis a Confessario, quem scio esse in mortali, & petere mutuum ab usurario; quia scilicet petitur Sacramentum, quod licite conferri potest a tali Confessario, si præmittat actum contritionis; & petitur mutuum, quod licite dari potest, si non exigantur usuræ: Licite etiam solvuntur usuræ, quia actus dandi illas de se non est malus; actus vero recipiendi usuras est malus ex malitia recipientis, qui vult retinere, quod datur ultra sortem, perinde quasi lucrum cessasset, aut damnum ex mutuo emerisset, quæ revera non acciderunt.

VII. Oppones: Conjux astrictus voto castitatis, petendo debitum, petit actum sacrilegum; ergo non potest alter conjux licite reddere; quia cooperaretur sacrilegio; Sicuti non potest reddere debitum conjugi petenti illud in loco publico.

Confirmatur primo. Si Titius habens votum jejunandi die Jovis petat a me carnes, non possum illas administrare, quamvis petitio sit illicita tantum ex circumstantia personæ habentis votum; ergo pariter si alter conjux habens votum castitatis petat debitum, non potest illi reddi, quamvis petitio eodem modo sit illicita ex circumstantia personæ.

Confirmatur secundo; Si quis suum gladium apud me depositum petat ad occidendum injuste alterum, non possum illi reddere gladium suum; ergo

neque possum reddere debitum illicite petenti.

Respondeo, verum quidem esse, quod talis actus sit sacrilegus, sed est sacrilegus ex parte petentis, non ex parte reddentis; Sicut Crucifixio Christi Domini fuit sacrilega ex parte Crucifigentium, non ex parte Crucifixi, nec ex parte Dei permittentis talem crucifixionem: Contra vero, quoties actus est illicitus non ex circumstantia personae, sed ex circumstantia se tenente ex parte actus, tunc actus est simpliciter illicitus; & idcirco neque peti, neque reddi potest debitum conjugale, verbi gratia, in loco publico. Et propter eandem rationem non licet petere extra casum extremae necessitatis Sacramentum Pœnitentiæ ab excommunicato vitando; quia tale Sacramentum ex defectu jurisdictionis in absolvente extra casum extremae necessitatis est nullum, atque adeo illicite petitur: Nec licet ministrare carnes die veneris, quia comestio carnis ex se est illicita tali die, & non ex circumstantia personae.

VIII. Ad primam confirmationem concessio antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia Titius nullum habet jus petendi a me carnes; ergo administratio carniarum non cohonestatur ab obligatione illas administrandi; sicut cohonestatur redditio debiti: Quare ad summum ex charitate deberet conjux præmittere, ut diximus, correctionem fraternam, aut aliquantisper differre debiti redditionem, si non oriantur inde discordiæ; eo quod teneamur impedire damnum spirituale proximi, etiam cum aliquo ipsius incommodo temporali.

Ad secundam confirmationem, concessio pariter antecedente, negatur consequentia: In primo enim casu reddendo gladium facerem injuriam alteri, quem ille vult occidere; & idcirco teneor non reddere, ex jure,

quod habet alter, ne occidatur, & ne ego concurram ad ejus occisionem: Contra in secundo casu conjux reddendo debitum nulli facit injuriam, & ideo tenetur reddere, sicut tenetur reddere gladium domino, qui habens votum non petendi illum, adhuc sacrilege petit.

IX. Instabis: Bonum spirituale præstat bono corporali; atqui propter bonum corporale alterius non licet reddere debitum, puta si reddendo debitum sequatur grave damnum ipsi petenti, vel proli, vel alteri; ergo a fortiori non licet reddere debitum in casu nostro propter bonum Animæ petentis, cujus peccatum cavetur, non reddendo debitum.

Respondeo, consequentiam non sequi. Disparitas autem est, primo quia in casu nostro negando debitum non cavetur peccatum petentis, quia iam ille peccavit petendo, sed solum impeditur actus externus, qui nullam malitiam addit supra peccatum internum, ut communius docent Theologi; unde nihil mirum, si ad cavendum grave malum temporale petentis tenetur conjux, a quo petitur debitum, illud non reddere; scilicet vero tenetur reddere in casu nostro, ubi non reddendo impeditur solum actus externus peccaminosus, non vero peccatum internum. Secundo ex Bonac. & Sanch. intantum non potest reddi debitum cum periculo damni corporalis vel petentis, vel proli, inquantum nemo habet dominium morale in corpus proprium, aut alterius; nemo enim potest sibi, vel alteri vitam tollere, aut membrum sine causa abscindere; unde sicut non potest conjux petere cum periculo corporis proprio, aut alterius; ita nec alter tenetur reddere: Contra vero homo supra animam suam habet dominium morale, eo quod Deus reliquerit animam in manu consilii hominis; & id-

eo conjux potest, & tenetur reddere debitum petenti illicite cum damno spiritali animæ suæ, cujus dominium morale habet; quamvis non possit reddere debitum petenti illicite cum periculo gravi damni sui corporis, cujus dominium morale non habet.

X. Advertit demum Sanch., quod si petens debitum illicite sit tantum reus culpæ venialis, semper teneatur alter reddere, quamvis petitio debiti sit illicita ex parte ipsius actus, & non ex circumstantia dumtaxat personæ. Ratio est, quia redditio debiti de se non est mala, & in tali casu intantum esset mala venialiter, in quantum reddens debitum cooperatur peccato veniali illicite petentis; atqui reddens debitum habet iustam causam, qua excusetur a peccato veniali talis cooperationis, ne scilicet displiceat petenti; ergo sine veniali culpa potest reddere, sive petitio sit venialiter illicita ex circumstantia personæ, sive ex circumstantia actus. Ita Sanch. contra Bonac. quæst. 4. punct. 3., qui putat esse veniale reddere debitum cum peccato veniali ex circumstantia actus.

ARTICULUS III.

De iis, quæ impediunt usum matrimonii.

- I. Quatuor sunt, quæ privant jure petendi debitum.
- II. Astrictus voto castitatis nequit debitum petere, nisi quando petito esset potius redditio; aut si aliter prævideretur in alio periculum incontinentiæ.
- III. Num votum castitatis a viro emissum invita uxore sit irritum? Etiam si non sit irritum, probabiliter potest illud ab uxore irruari.
- IV. Habens votum castitatis num teneatur post matrimonium ratum in-

gredi Religionem, ne se exponat periculo petendi debitum?

- V. Si post matrimonium superveniat conjugi cognatio spiritalis, non privatur jure petendi debitum. At si superveniat affinitas, solum conjux incestuosus eo privatur. Possuntque Religiosi Privilegiati in hoc dispensare.
 - VI. Hac pena non incurritur ab incestuoso habente ignorantiam sive juris, sive facti; Nec ab incestuoso, qui propriam consanguineam cognovit.
 - VII. Conjux certus de nullitate matrimonii, quamvis id probare non possit, & censuris adigatur ad debitum reddendum, nequiquam potest illud reddere.
 - VIII. Quicquid sit, an possit Judex damnare illum, quem scit esse innocentem, & secundum allegata, & probata est moris reus.
 - IX. Dubitans de validitate matrimonii jam contracti nequit debitum petere, antequam diligentiam adhibeat, licet post primum bimestre teneatur reddere. At si dubium vinci non potest, licitum erit etiam petere, dummodo bona fide contraxerit.
 - X. Quod si uterque conjux dubitet, neuter potest petere, nec reddere ante diligentiam.
 - XI. Habens opinionem probabilem de invaliditate matrimonii sine probabilitate de ejus valore, petere debitum non potest: secus vero si utrinque detur probabilitas.
 - XII. Num liceat cum opinione solum probabili de carentia impedimenti matrimonium contrahere?
- I. **E**gimus hactenus de actu conjugali licito, & obligatorio, agendum nunc de iis, quæ privant jure petendi debitum: Hujusmodi sunt Votum castitatis, Cognatio spiritalis, & affinitas post matrimonium orta; nec-